# Jn
# NUPTIARUM SOLENNIIS
*CELSISSIMI S. R. J. PRINCIPIS*
Comitis in Wiśnicz & Jarosław
# JOSEPHI
# LUBOMIRSKI
SubDapiferi M. D. L. Equitis Aquilæ Albæ.
Præfecti Exercituum S. R. M. & Reipublicæ,
*Cum*
*CELSISSIMA S. R. J. PRINCIPE*
# MAGDALENA
# LUBOMIRSKA
*CELSISSIMORUM PRINCIPUM*
REGNI ENSIFERORUM
Magnarum Dotum FILIA
# GRATULATIO
Ab Obligatissimo Amplissimorum Fundatorum Nomini Collegio Mederecensi Scholarum Piarum, suo & totius Provinciæ nomine
# EXHIBITA
Anno Æræ vulgaris 1755 Mense Junio

Jn Avitum Decus

*CELSISSIMORUM PRINCIPUM*

# LUBOMIRIORUM



Quando Lubomirius sacro sibi Fædere, claram
Omnigena jungit Dote Lubomiriam,
Fiet, ut Hæredes Tanto de Germine nati
Conservent Domui, quod fuit, estque, Decus.

# ORATIO

SI præſtantiſſimum Dei Munus, ſi maximam, quæ in hac mortali vita contingere poſſit, felicitatem, in rite auſpicatis ac bene copulatis connubiis ſacer quidam conſenſus generis humani collocavit, cùm Tibi PRINCEPS Lectiſſimam Genere ſuo, fortunisquè Dignam Filiam ſuam, Amantiſſimi Ejus Parentes, PRINCEPS ENSIFER Regni, Ejusquè Præclariſſima Conſors in Sociam vitæ elocant; dubitare non potes, lœtas omnium, & quicunquè Feſtis his Nuptialibus præſentes, frequentesquè adſunt, & ad quoscunque in Univerſa Republica fauſti hi de Tuis rebus pervenerunt nuncii, gratulationes ex ſincero intimoquè erga Te animorum ſenſu proficiſci. Minùs verò ad-

adhuc miraberis, quod ad communem de hoc Tuo incredibili bono lætitiæ communionem, noſtra quoque partem aliquam habitura pietas acceſſum quærit. Nàm niſi qui neſciat [quis verò Polonus id neſciat] quanta inter Principem LUBOMIRIORUM Fundatorum Noſtrorum Domum, Noſtrumquè Scholarum Piarum Ordinem, Jllam ſupra modum in Nos Beneficam, hunc infinitis Principi Huic Genti obſtrictum nominibus intercedat neceſſitudo, ille fortaſſe ignoret, quæ cauſæ ſint, quod in hac Tua præſente Fortuna minimè ſilere nos deceat. Nos equidem, quibus nihil in animis ſtabiliùs firmiùsquè impreſſum eſt, quam grata ac perpetua cùm veterum, tum recentium Domus LUBOMIRIANÆ erga Ordinem Noſtrum maximorum Beneficiorum memoria; quiquè probè ſciamus, ab ipſo Provinciæ Noſtræ exordio & auſpicata initia, & incrementa rerum Noſtrarum Vobis deberi omnia; nos inquam tantorum conſcii bonorum temperare nobis minimè poſſumus, quin publico, quantum, nos proſpera Domus Veſtræ afficiant & delectent, declaremus teſtimonio. Sentimus enim, atque penitus id nobis perſuaſum eſt, Bona Veſtra redundare in bonum Noſtrum; atque adeo non poſſe nos lætis, quæ Domum Veſtram circumdant, deeſſe, niſi fortaſſe nobismet ipſis deeſſe velimus. Quare ita iam Te cum PRINCEPS pro Tua Humanitate quæſo reputa, Officium iſtud Noſtrum, quô hæc initi cum PRINCIPE MAGDALENA Fæderis Tui ſolennia proſequimur, ordine quidem & conditione, inter alia,

quæ

quæ Tibi à Viris in Republica Ornatiſſimis redduntur, primum quidem non eſſe, at alacritate, ſtudio & ſinceritate, nulli poſſe, nulli velle concedere.

Non eſt autem, unde de aſſentationis cenſura nobis metuendum ſit, procul hac nos abeſſe imprimis nobismetipſis probè conſcii certiquè ſumus. Ut verò vel ab umbra & ſuſpicione adulandi nos ſecuriùs removeamus, nihil hic de noſtro dicemus. Vocem de vobis PRINCEPS, SUBDAPIFER & SUBDAPIFERA, præclaram, Vobisquè honorificentiſſimam, pro materia dicendorum ſumimus, vocem publicæ mentis, quam non facilè in magni præſertim, momenti rebus errare aut decipi perſpectum eſt, quævè, ſæpenumero, quaſi Numinum interpres, eorundem nobis arcana mentemquè revelat. Jta enim in commune perſæpe dici, certaquè affirmari fide audivimus: *Sperari è Veſtro Connubio magnam in Vosmetipſos, magnam in Familiam, magnam in Patriám derivatum iri felicitatem.* Quo quidem publico omnium ſenſu nihil cùm in argumentum Orationis hujus dignius, tum nobis à blandiendi adulandiquè nota liberandis contingere potuit opportunius.

Quùm multa magnaquè ſint, quæ firmandorum inter ſe connubiorum maximam vim & rationem habeant, qualia communiter numerari ſolent: par Genus, & Nominum Claritudo, pares in Republica neceſſitudines, amici atque opes par indoles, æquales animorum propenſiones, juſta illa & propior inter ætatem utramque floren-

tem ſimilitudo, & id genus; tamen virtutem imprimis ſummo ex his omnibus loco eſſe ponendam, eamquè maximè, ab ineuntibus ſponſalia utrinque requirendam ſapientes probiquè homines affirmant. Virtutem etenim ſicuti cæteris rebus omnibus præſtare, ita ſolam eſſe, quæ homines in ſocietate humana beatos reddat, id nę improbi quidem unquam ſunt auſi negare. Jta enim prorſus eſſe videmus, ut à virtute verus & ſtabilis amor, ab amore certa beatitudinis, qualis in vita obtineri poteſt, ſuavitas proficiſcatur. Quapropter ſi quid unquam Tibi PRINCEPS aut Celſiſſimæ CONIUGI Tuæ in vita majus ac deſideratius gratulari poſſumus, illud & Te & Jllam hodie aſſequutos conſpicimus, ut ad reliquam eamquè maximam vitæ Veſtræ felicitatem Tibi virtute conſpicuo, omni Ornatiſſima virtute electa ſit Conjunx, Omnia enim quæ utrinque in hoc connubio Veſtro conveniunt, magna ea & excellentia ſunt quidem, ſed cæteris excellentior virtutis conjunctio eſt.

Quare videat hìc, & animo præ jucunditate diffluat, PRINCEPS MAGDALENA eorum ſe tandem votorum compotem eſſe factam, ut qualem exoptare unq̄m̄ potuiſſet, Talem Te PRINCEPS ſit ſortita Maritum, Cujus videlicet Jntegritati, Fidei, Pietati, Benevolentiæ tutô omnem vitæ ſuæ fortunam & tranquillitatem, omnesquè rationes ſuas commendare poſſit.

Præter veram, non fucatam, atque ſolidam, quam à teneris ut ajunt unguiculis, combibiſti, ſemperquè ſupremum erga Numen retines Pietatem veræque Religionis amorem, ſedem atque

do-

domicilium in animo Tuo PRINCEPS collòcârunt complures ab arte & induſtria profectæ Dotes, quibus olim & ſub Patrio Cœlo conquirendis, & in exteris Nationibus excolendis augendisquè non pænitendam navâſti operam. Non enim vanò aliorum exemplô Europam, illiusquè florentiſſima Regna peragrâſti, ut tantummodo diſceres, quid inter domeſticum Viſtulam & Boryſthenem, ac aliorum Sequanam aut Rhenum diſcriminis intereſſet, ſed ut neceſſarias Principi lingvas, & artes præclaras, & Jmperantium arcana, & indolem Aularum, & quidquid usquam egregii moris Domum & ad Rempublicam referres. Pariſiis in illo ſuperbo eruditionis & opum domicilio, tempore in rebus magnis & utilibus benè exacto, cum aliis quoque Regnis pedem inferre, ibidemquè cuncta quæ laude & ſtudio digna viderentur, perſequi ac perſcrutari cuperes, Redeuntē Te è Gallia Magnum Hoſpitem ſalutavit Rhenus, Principemquè ſuum agnoſcens, Te apud ſe commorari, longiſſimoquè Dignitatis Tuæ frui aſpectu diſcupiit. Jllic Tu in reciproco Maximorum cultu & conſvetudine Procerum palam demonſtrare conſueveras, quàm rectè virtutibus Tuis publica, quam merebare, deberetur exiſtimatio; quàm pares ad portandam Jmperii Purpuram, ejusquè gloriam ſuſtinendam ineſſent Tibi Humeri. Neque caruit Tua PRINCEPS apud Palatinum Rheni commoratio fructu, & utilitatibus ſuis. Jndolem Polonæ Gentis ad maxima comparatam, LUBOMIRIANÆquè Dignitatis præſtantiam Elector Ille in Te conſpicatus, non modo o-

mni Te caritate, omnibusquè ſummæ Benevolentiæ ſignis complexus eſt, verum, quò publico etiam & perenni Tuam proſequeretur virtutem teſtimonio, Equites inter D. Huberti (quorum eo loci Ordo longè eſt Nobiliſſimus) ſummo Te ſtudio ac voluntate delegit.

Magnificum id, & omnibus Patriæ Filiis optandum maximè, ita tandem diſſitas ac diverſas perluſtrare Regiones, ut in quonam commodo proprio & utilitati Patriæ profectum ſit, factis deinde ab unoquoquè Domi ſeu foris oſtendi valeat. Tu enimverò, tota agendi ratione, quæ Tuum PRINCEPS in Patriam reditum conſequuta fuit, palam teſtificari ſolebas, divitem pulcherrimarum rerum apparatum, quem ſub alieno collegiſti Cœlo, linguarum videlicet peritiam, morum diſciplinam, judicii maturitatem, artis militaris ſcientiam, profundam juris publici, Regnique adminiſtrandi, quatênus ſcire opus eſt, intelligentiam, & horum benè multa bono Te Patriæ, Illiusquè ornamento comparata adtuliſſe.

Videre erat primis illis Tuis à reditu annis magnam ſeſe ubivis & ſplendidam ex animo Tuo proferre virtutem. Præcipua tunc & apud omnes commendata vitæ Tuæ ratio illa fuit, ut in Illuſtrium & ſapientiſſimorum congreſſibus Virorum, Illorum frequentatione multùm ſtudii & oblectamenti poneres; ut viſendi ac pernoſcendi Tui cupidos præſentiâ & affatu recreares; ut exquiſitô de omnibus benè merendi ſtudiô ſingulorum amorem conciliares; ſapientiæ ac eruditionis laude Nomen Tuum conſpicuum redderes; ut [illegible]-

ni-

nique Provincias omnes, in quibus Te agere contingebat, Dignitatis & Humanitatis Tuæ luce beares.

Quocirca tàm præclaris & excellentibus Tuis meritis persuasa & convicta, Nominiquè Tuo in universum addicta Nobilitas, in demandandis Dexteritati Tuæ gravissimis quibusque muneribus festinandum esse censebat, quandoquidem tàm festinata & ante annos matura Virtus Tua plurimùm Te ad ea, quæ rectè administrare probatæ virtutis & paucorum est, commendaret. Conspirabant igitur jam tùm universorum suffragia, etiam nolentem Te, etiam reluctantem Te ad Fasces & Jmperia rapere volentium. Non poteras non parere desideriis Palatinatuum Siradiensis, Kijoviensis, qui virtuti Tuæ præmii quodammodo loco id honoris tribuere volebant, quod in obeundo ad Rempublicam Legati munere, Tibi, idquè aliquoties præferrent neminem. Dubitandum siquidem illis minimè fuit, Te, qui in privatis Nobilium Comitiis, pro Libertatis, Lègum & Justitiæ integritate tàm graviter, prudenter, copiosequè differeres, Te inquam in publica Reipublicæ facie eundem Vultum, idem Cor, eandem rectè cogitandi dicendiquè Majestatem habiturum. Opinionem de Te semper probabat eventus. Quis enim aut in obeundo Legati munere visus est Te unquam gravior? aut in vindicandis Palatinatuum Iuribus & Privilegiis firmior & dexterior? in Sententia ad rationem Boni publici conformanda, eademquè depromenda prudentior? in suspiciendis & arcendis à Republica periculis cau-

tior? in aſſerenda, quæ unicum hujuſce communis omnium Matris caræ Patriæ ornamentum eſt, Libertate obfirmatior?

Sed imprimis ſplendidus Vitæ Tuæ, nobis verò non ſine magna laude commemorandus eſt annus ille, quem Tu PRINCEPS, ut olim Romani Conſules faſtibus nomina dando, ita ſupremo Prætoriæ Dignitatis in Tribunali munere ſignâſti. Dignitas, certè hæc, ſi tunc annos vitæ Tuæ ſpectemus, antevertiſſe ætatem Tuam credi poſſet, at quanta inde Tibi laus PRINCEPS, quod nondum grandævus ætate, jam ingenio, jam Legum & Juſtitiæ ex æquo adminiſtrandæ peritia, jam auctoritare, jam animo, ad jure abſolvendum vel damnandum idoneo, tàm difficili in Republica muneri par maturusque inventus es? Quodſi aut veterum Athenienſium Areopagum, aut Romanorum judicium miramur, quod in eo ſenes & barbati & albâ reſperſi canitie iidemque ſummâ exornati prudentiâ Iudices locum occupare ſolerent, mihi admiratione quodammodo ſuperior locus & Tribunal illud eſt, quod Prætor non Senex Ille quidem, ſed per ætatem florente, & gratioſo decorus vultu occupat; ſed ſi mentis Illius perſpicaciam, cum juſta rerum æſtimatione conjunctam, ſi verba, cunctasquè quas ad judicii & æquitatis menſuram componere, proferrequè novit ſententias, ſi animum à munerum corruptela, ab iniquis precibus, à fallaci Perſonarum reſpectu alieniſſimum, in eo videas & examines, certè ſtatuere neſcias quænam meliora, illorumnè quos provecta ætas, an illorum quos

Divi-

Divina mens & probata Virtus commendat, judicia esse videanrur.

Annus itaque ille Magistratûs Tui & rerum a Te gestarum laude celebris, hoc solo quia Annus quodammodo Tuus est, & ad commendationem Virtutis Tuæ pertinet, sine ullo alio præmio, ipse Tibi conscientiâ rerum rectegestarum per semet amplissimâ, laus præmiumquè esse poterat; tamen ne in-grata quoque sibi erga Te Patria videretur; neque sine munere aliquo præteriret obsequii tanti dignitatem, in Comitiis deinde Grodnensibus, Ornatissimum SUBDAPIFERI M. D. L. Honorem Tibi detulit. Merito id quidem atquè optimo jure; Nam cujus ita quæso est in arcto positus animus, qui posteaquam pro communi bono, magna, difficilia atque laudabilia gesserit, si Virtutem illius publicus consequatur honor, ad alia longè plura & ampliora deinceps præstanda, promptum & expeditum se minimè sentiat?

Regis quoque Nostri Optimi & Clementissimi Principis, multis erga Te documentis verè Regius eluxit amor. Ptæterquam enim quod in conferenda Tibi SUBDAPIFERI dignitate fecisset id, quod Justitiæ Jurisquè erat pubtici, super ea quod Regiæ erga Te voluntatis indicium præberet, facere non dubitavit. Nam cum Benefica Regis nostri Jndoles vinci se meritis non sinat, eorum præsertim, qui parte jam aliquâ spes de se publicas impleverunt; & majorem deinceps Bono Publico allaturi sunt opem; talium de numero quùm Te PRINCEPS multa facta Tua, meritaquè esse probarent, consequutum est, ut à Principe Vir-

tutum Tuarum Æſtimatiſſimo, in ordinem Equitum Albæ Aqvilæ legereris. Jgitur hiſce ornamentis in Te congeſtîs, quid amplius ſperare, poteramus quàm quod àmor Tuus ille in Patriam minimè otioſus, latius ſeſe ex animo Tuo exſerere, & vires porro ſuas ad majora bona impellere & urgere, ſemper conabitur?

Equidem hanccè de Te expectationem minimè feſelliſti, poſtquàm poſt tot honorifiâ erga Rempublicam obſequiorum genera, poſt geſtos laudabiliter Magiſtratus, animum tandem ad militares etiam curas applicare decreveris. Suſceptâ in fidem & ſolicitudinem ſupremâ Loricatæ Cohortis Præfecturâ, mirum dictu, quantos ad excolendam & in ſuo perficiendam ſtatu præſtantiſſimam hanc Militiæ Polonæ partem, ſtimulos Tibi acceſſiſe ſenſeris. Partim legum vetuſtate, plus etiam earundem quodam neglectu, præſertim in tam profundo pacis otio, diſciplinam rei militaris magnam partem peſſumdari, & fere in oblivionem deduci, cùm aliis tùm Tibi vel imprimis PRINCEPS magno ſemper dolori fuit. Statum militiæ, qualis nunc eſt, ab eo, qualis olim erat, maximo differe intervallo, & dictu, & cogitatu acerbum eſſe dictitabas. Jgitur mactè animo PRINCEPS. Te moderatore, Te capite, Te juſſa & imperia dante, ſumet aliquando Loricata Cohors vires, priſcis non abſimiles, & magna audendi animos, uniusquè illius exemplo cæteræ quoque pares eſſe audebunt. Dent pacem Boni ſuperi, quam optamus longiſſimam, neque enim ideo bonorum copiam militum deſiderare fas eſt,

qua-

quaſi nobis longioris uſus otii in faſtidium vergat; ſed ne idem pacis bonum temerè & inertes cum bello commutemus illamquè penitus amittamus, & libertas in ſervitutem ne decidat, ideò formidabiles nos, quà conſiliô, quà virtute, quà excellentium numerô militum eſſe convenit.

Quid dicam de novo prorſus & admirabili Legionis illius exoticæ, cujus Tu PRINCEPS non ita pridem Regimen amplexus es, ordine? juvat enim nunc eandem cum quacunque illarum, quas exteræ Nationes excultiſſimas habent comparare, in quo tandem hæ illam ſuperare videbuntur? nam numerum excludamus, palmam enim multitudinis libenter illis cedimus; ſed quis nitor? quis ſplendor armorum? quis bellicæ ſupellectilis apparatus? quod hominum robur? quæ inſuper jumentorum ratio, apud illos exteros magis exquiſita & ſplendida haberi poſſunt, ut eadem in Tua PRINCEPS Legione pari cura ſuffulta non effulgeant? Nimirum conditionem animi Illius, qui imperat, eos, quibus imperatur, ſequi neceſſum eſt. Multam enim PRINCEPS in eo rationem collocas, ut pulſo è legione torpore omni, atquè otio, diſcat miles cum exercitiis belli miſcere ornamenta pacis, quibus rebus potiſſimum ab eo provides, quod & Centuriones virtute, & experientiâ rerum commendatos præficias, & ut miles exercitatiſſimus ſit, plurimùm allabores.

His verô omnibus, quas diximus, rebus, quid quæſo aliud, quàm ſummus quidam erga bonum Patriæ amor in Te elucet? his intimam, quâ in commune commodum flagras, animi affectionem,

 his

his ſtudia Tua indefeſſa, nobilesquê ad normam Majorum Tuorum curas ſolicitudinemquê oſtendis.

Sed jam à publicis iſtis, ad alia quæ ipſa quoquè publica ſunt (nihil enim privatum id eſt obſcurum agis) orationem convertamus. Averſeris autē quantùm volueris, juſtiſſimas quæ à nobis hic attinguntur veriùs, quam dicuntur, laudes, nihil de Tua Humanitate, de Liberalitate, Affabilitate cum ſapientia, de Majeſtate & amicitia, nihil de cæteris audire, nihil pro inſigni Tua ~~induſtria~~ modestia intelligere velis; audiat tamèn PRINCEPS MAGDALENA Eundem Te, Quem illa tenerrimè diligit, in omnium veneratione & amore verſari, omnium benevolentiam demereri. Te enim artem conciliandi inter homines amoris nemo meliùs novit, nemo feliciùs opere & experimento probavit. Porrò ſummam artis hujuſce; & quaſi quoddam compendium, in eximia quâ præſtas humanitate collocas, quam qui novit viditquè in Te, viderit ille præcipuum ab hac in Tuam Perſonam ornamentum derivari, & prædicatione laudequè omni majora eſſe illa, quæ de Tua hac præſtantiſſima virtute paſſim dicuntur, celebrantur.

Quotquot unquam Civilitatis Tuæ præſentes in Domo Tua Teſtes eſſe contigit, ſciunt illi, ſatisquè verbis explicare nequeunt, quanta Tua ſit Princeps in ſuſcipiendis Hoſpitum officiis gratia, in tractandis pro ſtatu & dignitate cujusquê ſingularis prudentia, in inſtituenda cum utilitate & animorum oblectamento converſatione dexteritas, in omnibus humanitatis obſequiis exhibendis,

pro-

protrahendis, multiplicandis, mira quædam ſoli-citudo & alacritas?

Junxiſti Humanitati PRINCEPS animum maximè liberalem, cujus partem rerum ſacrarum cura, partem Boni Publici ratio, partem Amici & Familiares Tui vendicant. Jntuenti ſiquidem mihi & animo perſequenti, quantos & quàm liberales ſumptus in tot Divorum Aedes, quas aut erexeras, aut reſtauraveras, feceris; Conſiderantiquè larga munificentiæ Tuæ monumenta, Raſzkoviæ, in Czeczelnik, in Miaſzkowka, Tomaſzpoli, in Kraſno, in Pawołocza, in quibus ſacrorum delubra aut, funditus excitata, aut ad meliorem ſtatum & ordinem per Te reducta ſunt; latiſſimus quidam laudum Tuarum campus ſe ſe aperit. Sed alia plura & non minus ampla producere poſſumus. Domicilium enim illud, quod in Horodyſzcze Patribus à monte Carmelo nuncupatis conſtitutum eſt, maximam partem loquetur potentiam Domini, cum alterius pietate impenſas ſuas partiri ſcientis; illud verò, quod ſub oculis, nutuquè Tuo in Labuń, egregio operé cæptum eſt, totum eſt Princeps Tuum, nequè alium quenquan in ſocietatem tam præclari operis venire es paſſus.

Digna PRINCEPS magno animo Tuo liberalitas, quam ideò ſeu Deus, ſeu Natura Tibi infudit, ne quis expers profuſionis Tuæ fieret, ne DEUS Jpſe quidèm, cujus Tu in terris habitacula tàm ſolicitè & tàm ſolerter, ornare & procurare ſatagis? Nám quid ego hic loquar de impendiis illis, quibûs publici ſumptus ærarii redimere non dubitabas, quoties aut Legatus, aut Sum-

mus Prætor, aut quocunquè demum alio, munere insignitus, obsequia susciperes & obires publica?

Jam quis sine piaculo præterire possit, quæ à Te in Amicos & Clientes collata sint, quæ illi vicissim Tibi debeant? tot Bona, tot territoria, tot prædia; aliis quidem in omnem vitam, aliis verò etiam perpetuo concessa dono, incomparabilem Tui PRINCEPS Animi Liberalitatem Magnitudinemquè ostentant. Privatim verò ab omnibus quos Tuis dignos muneribus reputare dignatus es, infinita pro Tua Incolumitate fortunisqué vota & precationes ad Deum exprimunt. Prodest apud Te bonos, meritosque esse; his honorem, his munera, his patrocinium, his certa tutaquè vitæ præsidia offers; hi amicitiâ Tuâ, hi judicio florent, quodquè rarum est, Laus quondam Gratiani, Laus Tua Princeps est; spem exsuperas, cupienda prævenis, vota præcurris; præstare Tibi est, quàm nobis optare velociùs. Felicitatis Tuæ est posse quantùm velis, magnitudinis velle præstare ea quæ possis. Nihil ita primoribus labris polliceris, quin promisso fidem subdas, & verba re sancias. Nemo jam, nemo beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis, quia tam sunt certa, quæ spondes, ut tùm videantur accepta, quùm spondes. Felicem Te! qui tot benignitati Tuæ, quibus latus tuum credere tutò possis, obstrictos habeas; honoratissimam aulam, quam numerosa clientum Corona, non ad fastum quidem, quod superborum est, sed Tuam PRINCIPIS dignitatem stipandam, tuendamquè implet.

Si

Si quis unquam, Tu certè experiris, quàm gratum ac jucundum ſit amari unum ab omnibus, cùm Tu omnes unus ames, amandique Tui neceſſitas ab illicio Virtutis & beneficentiæ Tuæ proficiſcatur.

Porrò his ita breviter de Tuis Princeps Virtutibus, à quibus vera præſentis connubii felicitas repetenda eſt, ſummatim ſtrictimquè delibatis, ſequitur jam, ut quoniam Tui ornamenta Animi CelſiſſimæConjugi Tuæ prædicavimus, Tu quoque licet optimè ſcias, tamèn etiam à nobis audias, quàm Te Principis Hujus Fœminæ & ornet & beare pergat Connubium. Quid enim competentiùs, quid Providentiâ Tuâ digniùs facere potuiſti, quàm ut in Vitæ Societatem eligeres Tibi Filiam Eorum Parentum Principum, Quorum & in Republica multis meritis aucta exiſtimatio, & erga TemetIpſum ſummus quidam & ineffabilis amor ſemper eluxit? Magnum eſt PRINCEPS ſortiri Uxorem bonam, maximum verò, ſi Uxor Optima, ab Optimis (quemadmòdum in præſentia fit) tradatur Parentibus: Neque verò idcircò aut PRINCIPIS ENSIFERI Soceri Tui, aut Ejus Præſtantiſſimæ conjugis texemus laudes, Eorum ſiquidem in PRINCIPEM MAGDALENAM cum ſangvine derivata Virtus, per ſemet ipſam commendatam ſe atque venerabilem efficit. Laudâſſe ſiquidem Optimam Filiam perinde eſt, ac Celſiſſimorum Parentum, quàm excellentes in Jpſis ſint, oſtendiſſe Virtutes, cùm ad omnem probitatem factæ & effictæ PRINCIPIS Filiæ laus redundet in gloriam eorum, qui Talem & genuerunt & effecerunt.

Porrò quemadmòdum PRINCEPS ſemper honori Tibi duxeras, à primis annis cum PRINCIPE Regni ENSIFERO iniiſſe Te ſanctum quoddam & inviolabile amicitiæ fœdus, illudquè conſtanter adhuc coluiſſe; ità nunc prorſus Te Beatiſſimum putem, conveniſſe Te tandèm ita cum Jllo, & non dextras modò, ſed ſenſus omnes mentesquè ita junxiſſe, ut ſi fieri poſſet, tranſire invicem in Veſtra Pectora cupiatis. Quid enim aut Ille chariùs dare, aut Tu lubentiùs accipere potuiſti? cum hàc affinitate Veſtrâ & PRINCIPI ENSIFERO per Generum Illuſtre Soceri Nomen acceſſerit, & Tibi PRINCEPS SUBDAPIFER per Socerum inſigni pretio aucta ſit Tua Domus? Alii divitias, aut honores, aut Jmperia, etiam amicis ſed ſola donârunt; Tibi PRINCEPS ENSIFER animô liberali & maximô donat, & quod pietas Sua habet chariſſimum, & quod Fortuna, præcipuum, & quod Virtus, pulcherrimum, ornatiſſimumquè.

Pone Tibi ob oculos Formam optimè conſtituti animi indicem, Modeſtiam, compoſiti ad Verecundiam Vultûs ſuavitatem; mores vehementer amabiles, aliaquè ſuper alia, quæ Principem ornent Fœminam, animi atquè corporis ornamenta contemplare, omnino in PRINCIPE MAGDALENA compendium quàſi quoddam abſolutiſſimarum agnoſces Virtutum. Sic enim omnes miramur amabilem, ſic Venuſtam, ſic omnibus gratiis & decorìbus exornatam, ut non ab hominibus genita, ſed à Diis ipſis facta videatur. Jlli Mens quædam ineſt Divina, quam variis rerum pulcheri-

rimarum imbutam cognitionibus, tàm váſtàm & capacem effecit, ut quæ audit, legit, obſervat, nullo negotio comprehendat. Jlli à natura inditum eſt penetrans & admirabile acumen ingenii, ad omnia rectè intelligenda & dijudicanda idoneum. Illam mirificè individua actionum Illius comes exornat Prudentia, ut quô tempore, quali ratione, cum quibus, quovè modo agendum ſit, in promptu proſpiciat; Jllius hæc vera eſt & excellens commendatio, quod in ſuavitate, elegantia, & lepore dicendi, à nulla adhuc ſuperata fuerit. Modeſtiam porrò Vultûsquè compoſitionem in Ea tantam videmus, ut ad effingendos ex illo Cœleſtes Spiritus exemplar eſſe poſſit.

Quid dicam de eximia Illius in Deum Pietate, quâ Illa, quemadmòdum & cæteris Virtutibus, CELSISSIMAM MATREM pulcherrimè imitari ſtudet? Nunquam Illa dicatas Divinis precationibus horas, aut fruſtrare, aut in aliud opus convertere, nunquam diebus feſtis à rebus ſacris abeſſe, aut præclarum de ſe, piiſſimæ mentis exemplum non exhibere conſuevit, hinc benè affectum Illius erga Numen animum, nulla unquàm aut notavit levitas, aut improbavit cenſura, aut vituperatione affecit licentia. Mores, quibus ſe ſe excolendis omni ſtudio addixit, nihil in ſe quod præclarum & perfectum non eſſet, continent. Jllorum ſeveritatem, hilaritate temperare; ſimplicitatem gravitati miſcere; humanitatem, cum affabilitate conjungere; honeſtatem, multis gratiis decorare perbellè novit. Authoritas, quæ ſæpè mollem ſexum deſerit, Hujus indolem & Vultùm egregiè informat.

Quod ſi formam *Illius* admirabilem, nativi coloris ſuavitatem, ſummam quam toto corpore ſpirat dignitatem conſideraveris; non humanam, ſed Cœleſtem aliquam ineſſe *Illi* venuſtatem dixeris, ut ipſa exterior corporis ſpecies, ſimulacrum videatur eſſe probitatis. Nunquàm vetus fabula pulchriores Deabus habitus, & agendi rationem commentis adfinxit, quam in PRINCIPE MAGDALENA Veritas Ipſa & oculorum experientia comprobet. Hæres Illa non vana Magnorum Nominum, quidquid olim Jlluſtrium Ornamentorum in ELEONORA, CHRISTINA, CONSTANTIA, THERESSIA, JOSEPHA, MARIA, maximis ſœculi ſui decoribus Domus LUBOMIRIANA produxit, in ſemet PRINCEPS MAGDALENA exprimere, vivisquè, tot Principium Fœminarum memoriam lineamentis excitare videtur.

Jtaque CELSISSIME PRINCEPS cum Ampliſſimorum Parentum tot meritis, tot fortunæ & Naturæ opibus, tot Virtutibus Inſignem Filiam connubiali ſociandam Tibi fœdere, Cœli deſtinaverint; cùm Tu Ipſe Tantæ conjugi virtutem cumprimis, cum hac verò cætera omnia lubens volensquè deſpondeas, dubitare non poſſumus, ex arcta hac virtutum & Nomiuum conjunctione, illud tandem conſequuturum, quod ſuperiore loco diximus: Connubium iſtud Veſtrum, Cauſam eſſe, à qua veſtra vera & ſolida in omnem vitam pendeat felicitas.

Sed aliò me jam vocat ſolennium iſtiusmòdi Nuptiarum ratio, in quarum celebritate Ampliſſima totius Familiæ Majeſtas, tantò mihi juſtiùs ju-

cun-

cundari videtur, quod in his felicitatis quoque partem ſuæ repoſitam eſſe videt. Neceſſarium & perhonorificum eſſe cuicunquè Familiæ Ejus ampliandæ & ad poſteros prorogandæ curam ſuſcipere; porrò unam Nominis propagandi rationem in connubiis ſitam eſſe, nemo non videt. Cùm igitur PRINCIPES mutui iſtius ac nunquàm dirimendi fœderis conditionibus Vitam atque Animas Veſtras obſtringere voluiſtis, amor, qui erga Familiam innatus Vobis eſt, in deliberationem & conſilium adfuit, ut quod facere intenderetis, illud ſine dubio ad propagandam Nominis rationem facturi eſſetis. Jn quo laudabili Poſteritatis deſiderio videte quàm gratus erga Majores Veſtros elucet animus, propterea, quod in Sequutura Veſtro Nomine Digna Stirpe, novum Illi Jmmortalitatis gradum ſint conſequuturi. Vivere enim Jlli, niſi per poſteros, non poſſunt, illudquè beneficium, quod ab Ipſis ſangvinis derivatione receptum eſt, nullâ re dignius, quàm pretioſo Filiorum ac Nepotum munere redditur. Jgitur, cùm jam non aliunde, non peregrinis terris atquè oris, ſed in ſinu ipſo & gremio Veſtra Omnium Nomina complectentis Familiæ Uxores LUBOMIRIIS quærantur, conjugiaquè coaleſcant, oportet & Magnam Principis Hujus Familiæ, Regnoquè penè ſimilem eſſe amplitudinem, & idem ipſum ad ſtabiliendam Domûs firmitatem mirificè conferre. Amicitiis enim & concordiâ res inter ſe convenire, diſtractionem omnem perniciosiſſimam eſſe, facta prorſus innumera & exempla teſtantur.

Animandvertere potes PRINCEPS, & ex ſinceris omnium gratulationibus conjectari, non eſſe Quemquā Præclarorum, hoc loci Hoſpitum, quem nón Tua, Celſiſſimæquè CONIUGIS Tuæ præſens Fortuna exhilaret, cui inita hæc pactaquè per Vos Societas miram quandam animi voluptatem non inſtillet? cujus pectus tanto & tàm eximio, quod ad univerſam ſpectet Familiam, bono non afficiatur; non exultet, non diffluat?

Lætatur vel imprimis PRINCEPS ENSIFER Regni, Ejusquè Præclariſſima CONIUNX recepiſſe ſe hodie expectationum ſuarum, laborum & curarum ampliſſimum fructum, cùm Quam Cœlorum munere Optimam, & ad omnia laudabilia ſuoptè ductu proclivem, dignis ſuo Genere, dignis PRINCIPE Fœminâ, dignis Te futuro Conjuge Virtutibus Filiam imbuerunt; Eandem nulli certè digniùs, nulli glorioſiùs quàm Tibi tradere potuerint. Jd enimverò Tibi PRINCEPS ENSIFER in omne tempus erit perhonorificum, ad immenſa ea, quibus in Republica inclaruiſti merita, virtutesquè, hoc quoquè à Te adjectum eſſe, ut Parens vocarere Ejus Præſtantiſſimæ Filiæ, quæ Jpſa quoquè Multorum & Præclarorum futura Filiorum Mater, Tibi, Celſiſſimæquè Matri, grandia Avi, atque Aviæ Nomina, Vobis quidem perhonorifica, Nepotibus verò ſuavia comparabit. Dicaris PRINCEPS Legationum in Republica obeundarum norma excellens; dicaris regundæ in publicis Regni Comitiis Aulæ Legatorum Prudens Arbiter; dicaris Amor & deliciæ Nobilitatis, Munificentiæ & Liberalitatis, cujus laudem nulla un-

quàm

quàm conticeſcet ætas, prodigium; his quidem multisquè aliis titulis Fama Tua longè latèquè pervagata, gloriam Tuo Nomini & perpetuitatem addit, tamen vel imprimis honorificum, & in ſumma laude ponendum eſt, fieri Te hodie Patrem Patriæ, quandoquidem Jllius es Ornatiſſimæ Parens Filiæ, ex qua porrò Nepotes & Ipſos Patres Patriæ ſperare jubemur.

Singularem animi voluptatem, quâ ex eodem graviſſimo fœdere affici ſe ſentit PRINCEPS Præfectus Olſztynenſis Soceri Frater, exprimere quis poſſit? quandoquidem Illius Ipſius animus vota omnia, quibus Vos Ornatiſſimos Conjuges proſequitur, capere vix poſſit? Quis gaudium & jucunditatem PRINCIPIS MARTINI Præfecti Caſimirienſis enarret? Qui ab extremis Europæ Regionibus præcipiens animo hujus tanti diei lætitiam, maturandum ſibi in patriam reditum meditabatur, quo Eum diutiùs fortè quàm vellet exoticarum rerum, urbium, hominum; Aularum, Principumquè notitiam perſequentem, Tuorum PRINCEPS SUBDAPIFER Sororisquè ſuæ ſponſalium tempus minimè falleret. Quis PRINCIPIS STANISLAI Regni SubDapiferi Tui amantiſſimi Fratris intimi ſenſus animi, quibus & ſibi & Familiæ, hujusce fortunam Matrimonii gratulatur, explicet? Fratrem enim hoc Principe cariorem, quem unus idemquè erga Bonum Patriæ amor Tecum conjungat, eadem pro Libertate ſubeunda & magno animo perferenda pericula, non dividant, ſecundæ res non extollant, adverſæ non deprimant, Fratrem inquam Hoc meliorem & habere & opta-

re non potes. Germana quæ inter Vos eſt dilectio, ita animos Veſtros nectit ac conjungit, ut unum Cor, una Anima, unus idemquè eſſe videamini. Porrò quis dignè recenſeat longam ſeriem, partes ſibi ſuas in his gaudiis vendicantium tot Principum Virorum atque Fœminarum, quos in Familiæ ornamentum, & magnum Reipublicæ præſidium fœcunda LUBOMIRIORUM Domus peperit? Credo ego univerſos, qui aut Præſentes adſunt, aut neceſſario impediti, corpore non animo diſtant, derivare in ſe ſuam quemquè ex hoc Connubio ſolatii ſui partem; cùm quidquid commune omnium, quod unius aut duorum eſt, tàm ibi cauſam lætandi omnes, quàm unus vel duo habent.

Sint igitur ſua Familiæ & PRINCIPIBUS LUBOMIRIIS, ſua Cognatis Domibus ex hoc peracto Connubii Sacramento magna jucundaquè ſolatia; Patriam quoquè ipſam ſuæ hic felicitatis Cauſas habere, perſpicuum tàm eſt, quàm quod maximè. Sunt in recente omnium memoria tot Fortiſſimi Heròés, Belli Duces, Triumphatores, Sapientiſſimiquè Miniſtri, & Clariſſimi, Reipublicæ Proceres, Quos purpuratæ LUBOMIRIORUM Cunæ, in lucem & ornamentum Patriæ edidêre; adeoque & de Vobismetipſis PRINCIPES Neoſponſi, Qui tàm veteris & inſignis Proſapiæ ſanguis eſtis, parvas Patria concipere ſpes non poteſt. Domus etenim Veſtra Maximorum ſeminarium Virorum eſt, ducitquè ſibi laudi eos, quos gigneret, genuiſſe ſemper Bono & præſidio Patriæ.

Quodſi cauſam indagare velimus, quamob-

rem

obrem PRINCIPES LUBOMIRII nunquàm infeliciter in lucem prodeant, sed suâmet naturâ videantur ad bonum proni, & ad maxima nati? tribui id certè debet vetusto illi & defœcato Romanorum sanguini, Qui à DRUSIS in Jllyricum primùm, deindè in Poloniam transgressis (ut Diplomata & rerum antiquissimarum Scriptores testantur) ad Vos usquè per Majores, Atavos atque Avos dimanavit. Qui prima Gentis Vestræ in Polonia incunabula perquirunt, ii repetenda esse ducunt, ab AURELIO DRUSO, quem ferunt in Poloniam tunc planè nascentem, ex Illyrico commigrâsse, amplâque, quā post se reliquit, posteritate auxisse Gentē & Dignitatē Polonam. Multi multa de Vetustate, Incrementis, progressu atquè opibus Hujus DRUSORUM, seu, ut Cromero placet, Drusinorum Familia memorant. Celebrant itaquè ANTONIUM DRUSUM Qui Boleslao Chrabrio idolorum cultum ejurante, Ipse quoquè Ducis sui sequutus exemplum, ad agnitionem veri Numinis, cum Tota Gente sua accedere non dubitavit. Laudant MIROSLAUM DRUSUM Comitem in Hakiel sub Boleslao I. Rege Poloniarum Heròém strenuissimum, qui omniū primus Stemmatis appellationem in Srzeniavam, Nomen DRUSORUM in LUBOMIRIOS vertisse perhibetur. Ornant verbis amplissimis MARCUM I. Comitem de Lubomirz Castellanum Zawichostensem, à Lescone Sandomiriensium Duce honoribus & insigni Diplomate auctum; & ut alios complures, Præsuleis ac Senatoriis titulis insignitos prætercam, ALBERTUM I. PAULI I. Palatini Lublinen-

 sis

ſis Filium commemorant iidem Hiſtorici à Boleslao Cracovienſium & Sandomirienſium Duce, Coloniam, ubi novi Jmperatoris Electio agitabatur, Oratorem miſſum, ibiquè eum prudentia & ſingulari dexteritate ita partes Rudophi I. tuitum fuiſſe, ut & Hic ad Jmperii gubernacula conſenſu Electorum admotus fuerit, & Ille ab eodem Rudolpho tanti Officii gratiam ſibi referente, Comitis Imperii titulum atque Dignitatem acceperit.

Porrò multis teſtimoniis & eximiâ laudum commendatione florere accepimus SEBASTIANUM Caſtellanum Woynicenſem, Virum de Patria benè meritum, Qui pietate erga Religionem, multisquè pro Patria præclarè rebus geſtis, nulli unquàm fuit ſecundus. Hic enim Ille eſt, qui poſt exceſſum Stephani Regis, multis militibus ære ſuo conſcriptis, ſtipendióquè alitis, Regni limites, contra hoſtium machinationes & incurſus, tuendos ſuſceperat, qui ad Byczynam, ut feſtinatis Maximiliani progreſſibus obicem poneret, quingentorum Cohortem militum, Filiis eidem præfectis ſuppeditavit. Jlle Præfecturam Scepuſienſem ingente auri copiâ è manibus Hungariæ vindicatam, Regno reſtituit Patrio. Ille bonorum Wisnicz hæreditate ſui juris factâ, appellationem Comitum in Wisnicz apud Imperatorem impetrâſſe dicitur. Ille deniquè, ſi nihil horum omnium præſtitiſſet, tamèn magnorum Vir meritorum credi poſſet, propterea, quod Tales Paternarum virtutùm reliquiſſet Hæredes, ſectatoresquè, qui LUBOMIRIANI præſtantiam Nominis, ad ſummum Dignitatis faſtigium evexêre.

Mi-

Minorem natu JOACHIMUM Præfectū Dobczynensem, Hujus, Quem diximus SEBASTIANI Filium, cùm in ipso ætatis flore & præclara jam ageret, & majora promittere videretur, in Castris ad Smoleńsko præmatura mors è vivis sustulit. Unus igitur STANISLAUS Hujusce JOACHIMI Frater superstes, Heroū ætatis suæ fortissimus, Reipublicæ summum Decus, unus Familiam suo Nomine collustrandā totus, suscipit; quàmquè varios & gravissimos pro Religionis Boniquè publici integritate subierit labores, & pericula sustinuerit, non opus est multis differere, sed unum ex infinitis, quod nobis verum hunc *P*olonorum Herculem vivis depingat coloribus, commemoremus.

Res est omnibus nota, illo clade Turcarum ad Chocimum famosissimo prælio, nullum unquàm aut grandius aut periculosius exstitisse. Hostis erat vincendus ille, qui præteritorum belli successuum conscientiâ tumidus, audaciâ & feritate immanis, multitudine innumerabilis, ruinam & excidium Poloniæ minabatur. Ad hæc *P*olonorum res tunc erant angustæ, belli Ducum alter ad Czeczoram infaustô cæsus prælio, alter captivus abductus; exercitus metu paucitatequè suorum pavidus, ærarium exhaustum, Comitiorum tarda & in varias distracta partes consilia; desperandum igitùr erat, in arcto positis Reipublicæ rebus, nisi tandèm Unus Jdemquè omnia fieret STANISLAUS. Jllius Tu Patria consiliis atquè armis, non modò præsens à cervice depulisti jugum, verùm hydram illam immanissimam benè

ſauciam & profligatam, in priores, ubi ſe cum metu contineret, latebras còégiſti. Operoſum eſſet, ſingula Hujusce Jmperatoris ac plane ſtupenda facinora una Oratione comprehendere. Viginti inter Baſilicas, quas munificentiſſimus Hic Princeps Divino cultui excitari fecit, ſilentio prӕterire non poſſumus; Illam, quam Permagnus Hicce Fundator in Prӕfectura Scepuſienſi Ordini Noſtro tunc in Polonia naſcenti veluti incunabula poſuit, fundamētaquè jecit totius illius LUBOMIRIANÆ Benevolentiӕ, quӕ ſplendidis deinde Reſſoviӕ, atquè Medereci in Volhynia Domiciliis rem noſtram mirum in modum auxit, & in hunc diem Gratiis Maximis & validiſſimo Patrocinio fovere non ceſſat. Princeps Hic, cui ob famam meritorum uterquè Ferdinandus Imperii Principatum contulit, ideo nobis hoc loci vel imprimis commemorandus fuit, quod in Eo oſtèndere voluerimus, quanta & olim in Republica fuerit LUBOMIRIANI Majeſtas Nominis, quanta deinde in Nepotibus atquè Pro-Nepotibus conſequuta ſit amplitudo atquè Dignitas.

Hujus igitùr STANISLAI Familiӕquè tàm Illuſtris PRINCIPES Neo-Sponſi ſangvis & Hӕredes cum ſitis, mirandum non eſt, permultas ex hocce Veſtro Connubio Patriӕ exoriri lӕtandi Cauſas, quippè quӕ de LUBOMIRIIS LUBOMIRIOS, Patrum & Avorum Perſimiles jure ſperet. Nequè enim ſola ea Veſtra laus eſt, quod naſcentes in Domo Veſtra PRINCIPES cum ſanguine & ſplendore Natalium conjungere ſoleant

in-

indolem ad ſumma natam; ſed multùm inſuper tribuendum eſt educationi Inſtitutioniquè Veſtræ, quòd per eam benè nati Principes, etiam meliores & ad Reipublicæ uſus accommodatiores reddantur. Utrumquè hoc à Majorìbus Veſtrís, Naturam quidem excellentem eximius ille, & antiquitate ſua clarus, & verè triumphalis tot Principum ſanguis; Jnſtitutionem verò clariſſima eorundem exempla Vobis ſubminiſtrant. Hæc illa inquàm exempla, quæ unà cum Majorum Jmaginibus Poſteris Veſtris, ſimul ut vitalem hanc lucem intuentur, in oculos incurrunt, inter vagitus aut ludos pueriles ab illis ediſcuntur, qui ex anguſtiis ac umbra cunarum elapſi, cùm prodeant ſtatim in domeſticam quandam lucem, & ampliſſimum quàſi quoddam Virtutum & gloriæ Regnum, ac eâ Paternæ Aulæ diſciplinâ ſe ſe oblectent, neceſſariò magnos æmulationis laudisquè ſpiritus induunt, quibus nihilô ſegniùs, ac ii Qui præceſſerunt, ad arduum virtutis curſum ſe ſe excitari vident.

Jam igitùr PRINCIPES Neo-Sponſi videtis & naturâ & Jnſtitutione ſeu exemplorum copiâ naſcituros ex Vobis Hæredes & Veſtri & Majorum perſimiles à Patria exſpectari. Fortes, Juſtos, Sapientes, Belli Duces, Senatûs, & Conſiliorum lumina, eadem naturæ ac educationis vis, quæ cæteros, Illos quòquè effectura eſt. Quoties enim aut Tua, aût PRINCIPIS PALATINI Sandomirienſis Parentis Tui, Viri de Republica optimè meriti, Cujus & in Legationibus Prudentiam, & in Miniſteriis Fidem, & in adminiſtranda

H Ju

Iuſtitia integritatem, & in Senatu Conſilium non ſine laude Patria ſemper perſpexit, naſcitura ex Te PRINCEPS Progenies exempla intuebitur; quoties ſedula mente revolvet, ea quæ PRINCEPS ENSIFER Regni Avus Illorū, PRINCEPS GEORGIUS Palatinus Cracovienſis Abavus, PRINCEPS GEORGIUS SEBASTIANUS Mareſchalcus Regni, Idem Belli Dux, Idem Veſtrarum communis Auctor Domorum, pro Religionis, Patriæ, Boniquè publici Honore augmentoquè præſtiterint, toties acribûs quibûsdam ſtimulîs urgeri & incitari ſe ſe ſentient, non abſimiles Tantorum Parentum in ſemet olim exhibere Dotes. Jlla in STANISLAO eximiæ Fortitudinis, in STANISLAO HERACLIO admirandæ ſapientiæ, in JOSEPHO CAROLO Dexteritatis & Magnificentiæ, in HIERONYMO Liberalitatis, perpetua; clariſſimaquè exempla, non ſinent Ipſos, deſidem & otio diffluentem agere vitam; Quapropter intereſt Patriæ, quandòquidem non obſcura ex hac conjunctione Veſtra certò prævidet ſibi ſpondetquè ſolatia, maximum in modum lætari; Noſtrum verò, quibus Dignitate Celſiſſimi Nominis Veſtri nihil poteſt eſſe antiquiùs, ſummopere precari, ut Boni Superi Conjugium hocce Veſtrum eximia & numeroſa ſtirpe coronent.

Quæ igitur promanatura ex hoc felici Fœdere Veſtro bona ſperare veriùs quàm conjicere fas eſt, eadem hodie Vobis PRICIPES Neo-Sponſi impenſiſſimâ, quâ ſumus voluntate & ſtudio gratulamur. Magna illa ſunt quidem, ſed non ſola Veſtra duntaxat, in quæ ſcilicet amplum ſibi

bi

bi Jus Familia, amplum Patria vendicat. Vobis PRINCIPES Beatitatem veſtris ipſis virtutibus comparandam, Familiæ ingens ſolatium, Patriæ præſidium atque decus, glorioſiſſimus hic Sponſalium veſtrorum dies adfert. Precamur itaquè votisquè omnibus iterùm atquè iterùm optamus, ut tantum hoc Bonum Veſtrum lectiſſimo Filiorum ac Filiarùm munere Boni Superi augeant, ſolatiisquè veſtris addant perpetuitatem. Nos qui præſens hocce gratulationis, veterisquè Obſervantiæ teſtimoniū, juſtiſſimis omninò de cauſis, Nomine præſertim Domûs Noſtræ Medereceniſ Fundatoribus Noſtris in omne tempus devotiſſimi reddimus, etiàm atquè etiàm petimus, ut benignô illud PRINCIPES animô ſuſcipere velitis, Provinciamquè Noſtram Polonam LUBOMIRIORUM Gratiîs fundatâm, Liberalitate auctam, Patrociniô ſtabilitam, veſtra quoque tueri Auctoritate non dedignemini.